

Seminario di Filosofia medievale – 12 febbraio 2014

'Ratio' in Agostino – Giovanni Catapano

Handout

T1 = Tertulliano, *Adversus Praxean*, 5, ed. Kroymann-Evans (CCSL 2)

Ante omnia enim deus erat solus, ipse sibi et mundus et locus et omnia. Solus autem quia nihil aliud extrinsecus praeter illum. Ceterum ne tunc quidem solus; habebat enim se cum quam habebat in semetipso, **rationem** suam scilicet. Rationalis enim deus et **ratio** in ipsum prius et ita ab ipso omnia. Quae **ratio** sensus ipsius est. Hanc graeci λόγον dicunt, quo uocabulo etiam sermonem appellamus ideo quae iam in usu est nostrorum per simplicitatem interpretationis sermonem dicere in primordio apud deum fuisse, cum magis **rationem** competat antiquiorem haberi, quia non sermonalis a principio sed rationalis deus etiam ante principium, et quia ipse quoque sermo **ratione** consistens priorem eam ut substantiam suam ostendat. Tamen et sic nihil interest. Nam etsi deus nondum sermonem suum miserat, proinde eum cum ipsa et in ipsa **ratione** intra semetipsum habebat, tacite cogitando et disponendo se cum quae per sermonem mox erat dicturus. Cum **ratione** enim sua cogitans atque disponens sermonem, eam efficiebat quam sermone tractabat. Id quo facilius intellegas, ex te ipso ante recognosce ut ex imagine et similitudine dei, quo habeas et tu in temetipso **rationem** qui es animal rationale, a rationali scilicet artifice non tantum factus sed etiam ex substantia ipsius animatus.

T2 = Agostino, *De immortalitate animae*, 10, ed. Hörmann (CSEL 89)

Ratio est aspectus animi, quo per seipsum, non per corpus uerum intuetur, aut ipsa ueri contemplatio, non per corpus, aut ipsum uerum, quod contemplatur.

T3 = Agostino, *De ordine*, II, 30; 48, ed. Doignon (BA 4/2)

Ratio est mentis motio ea quae discuntur distinguendi et conectendi potens, qua duce uti ad deum intellegendum uel ipsam quae aut in nobis aut usque quaque est animam rarissimum omnino genus hominum potest non ob aliud nisi quia in istorum sensuum negotia progresso redire in semetipsum cuique difficile est.

Hunc igitur ordinem tenens anima iam philosophiae tradita primo se ipsam inspicit et, cui iam illa eruditio persuasit aut suam aut se ipsam esse **rationem**, in **ratione** autem aut nihil esse melius et potentius numeris aut nihil aliud quam numerum esse **rationem**, ita secum loquetur: "Ego quodam meo motu interiore et occulto ea, quae discenda sunt, possum discernere uel conectere et haec uis mea **ratio** uocatur".

T4 = Agostino, *De animae quantitate*, ed. Hörmann (CSEL 89)

Quia paulo ante dixisti propterea me tibi debere adsentiri scientiam nos habere ante **rationem**, quod cognito aliquo nititur, dum nos **ratio** ad incognitum ducit. Nunc autem inuenimus non **rationem** uocandam esse, dum hoc agitur; non enim sana mens agit hoc semper, cum semper habeat **rationem**. sed recte ista fortasse ratiocinatio nominatur, ut **ratio** sit quidam mentis aspectus, ratiocinatio autem **rationis** inquisitio, id est aspectus illius per ea quae aspicienda sunt motio. Quare ista opus est ad quaerendum, illa ad uidendum. Itaque cum ille mentis aspectus, quem **rationem** uocamus, coniectus in rem aliquam uidet illam, scientia nominatur; cum autem non uidet mens, quamuis intendat aspectum, inscitia uel ignorantia dicitur.

T5 = Agostino, *De utilitate credendi*, 31, ed. Zycha (CSEL 25/1)

Nam ego credere ante **rationem**, cum percipiendae **rationi** non sis idoneus, et ipsa fide animum excolere excipiendis seminibus ueritatis non solum saluberrimum iudico, sed tale omnino, sine quo aegris animis salus redire non possit.

T6 = Agostino, *Contra Academicos*, III, 43, ed. Green (CCSL 29)

Nulli autem dubium est gemino pondere nos impelli ad discendum auctoritatis atque **rationis**. Mihi ergo certum est nusquam prorsus a Christi auctoritate discedere; non enim reperio ualentiorum. Quod autem subtilissima **ratione** persequendum est – ita enim iam sum affectus, ut quid sit uerum non credendo solum sed etiam intellegendo apprehendere impatienter desiderem – apud Platonicos me interim, quod sacris nostris non repugnet, reperturum esse confido.

T7 = Agostino, *Epistula* 143, 7, ed. Goldbacher (CSEL 44)

Si enim **ratio** contra diuinarum scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit ueri similitudine; nam uera esse non potest. Rursus si manifestissimae certaeque **rationi** uelut scripturarum sanctarum obicitur auctoritas, non intellegit, qui hoc facit, et non scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potius obicit ueritati, nec quod in eis, sed quod in se ipso uelut pro eis inuenit, opponit.

T8 = Agostino, *De diuersis quaestionibus LXXXVIII*, 46, 2, ed. Mutzenbecher (CCSL 44/A)

Ideas igitur Latine possumus uel formas uel species dicere, ut uerbum e uerbo transferre uideamur. Si autem **rationes** eas uocemus, ab interpretandi quidem proprietate discedimus – **rationes** enim Graece λόγοι appellantur non ideae –, sed tamen quisquis hoc uocabulo uti uoluerit, a re ipsa non abhorrebit. Sunt namque ideae principales quaedam formae uel **rationes** rerum stabiles atque incommutabiles, quae ipsae formatae non sunt ac per hoc aeternae ac semper eodem modo sese habentes, quae diuina intellegentia continentur. Et cum ipsae neque oriantur neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri et interire potest et omne quod oritur et interit. Anima uero negatur eas intueri posse nisi rationalis, ea sui parte qua excellit, id est ipsa mente atque **ratione**, quasi quadam facie uel oculo suo interiore atque intellegibili. Et ea quidem ipsa rationalis anima non omnis et quaelibet, sed quae sancta et pura fuerit, haec asseritur illi uisioni esse idonea, id est quae illum ipsum oculum, quo uidentur ista, sanum et sincerum et serenum et similem his rebus, quas uidere intendit, habuerit. Quis autem religiosus et uera religione imbutus, quamuis nondum haec possit intueri, negare tamen audeat, immo non etiam profiteatur, omnia quae sunt, id est quaecumque in suo genere propria quadam natura continentur ut sint, auctore deo esse procreata, eoque auctore omnia quae uiuunt uiuere, atque uniuersalem rerum incolumitatem ordinemque ipsum, quo ea quae mutantur suos temporales cursus certo moderamine celebrant, summi dei legibus contineri et gubernari? Quo constituto atque concesso, quis audeat dicere deum inrationabiliter omnia condidisse? Quod si recte dici uel credi non potest, restat ut omnia **ratione** sint condita, nec eadem **ratione** homo qua equus; hoc enim absurdum est existimare. Singula igitur propriis sunt creata **rationibus**. Has autem **rationes** ubi esse arbitrandum est nisi in ipsa mente creatoris? Non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret quod constituebat; nam hoc opinari sacrilegum est. Quod si hae rerum omnium creandarum creaturarumue **rationes** diuina mente continentur, neque in diuina mente quidquam nisi aeternum atque incommutabile potest esse, atque has **rationes** rerum principales appellat ideas Plato, non solum sunt ideae, sed ipsae uerae sunt, quia aeternae sunt et eiusdem modi atque incommutabiles manent. Quarum participatione fit ut sit quidquid est, quoquo modo est.

Sed anima rationalis inter eas res, quae sunt a deo conditae, omnia superat et deo proxima est, quando pura est; eique in quantum caritate cohaeserit, in tantum ab eo lumine illo intellegibili perfusa quodammodo et inlustrata cernit non per corporeos oculos, sed per ipsius sui principale quo excellit, id est per intellegentiam suam, istas **rationes**, quarum uisione fit beatissima. Quas **rationes**, ut dictum est, siue ideas siue formas siue species siue **rationes** licet uocare, et multis conceditur appellare quod libet, sed paucissimis uidere quod uerum est.

T9 = Agostino, *De Genesi ad litteram*, V, 12, 28, ed. Zycha (CSEL 28/1)

Cum ergo aliter se habeant omnium creaturarum **rationes** incommutabiles in uerbo dei, aliter eius illa opera, a quibus in die septimo requieuit, aliter ista, quae ex illis usque nunc operatur, horum trium hoc, quod extremum posui, nobis utcumque notum est per corporis sensus et huius consuetudinem uitae. duo uero illa remota a sensibus nostris et ab usu cogitationis humanae prius ex diuina auctoritate credenda sunt, deinde per haec, quae nota sunt, utcumque noscenda, quanto quisque magis minusue potuerit pro suae capacitatis modo diuinitus adiutus, ut possit.

T10 = Agostino, *De Genesi ad litteram*, IX, 15, 28, ed. Zycha (CSEL 28/1)

Voluntas uero angelica oboedienter deo subdita eiusque executata iussionem naturalibus motibus de rebus subiectis tamquam materiem ministrare, ut secundum illas principales in uerbo dei non creatas uel secundum illas in primis sex dierum operibus causaliter creatas **rationes** aliquid tempore creetur, more agricolandi uel medendi potest.

Bibliografia scelta

- G. CATAPANO, *Ratio*, in *Augustinus-Lexikon* (in corso di pubblicazione).
- E. FORCELLINI, *Lexicon totius Latinitatis ab Ægidio Forcellini lucubratum, deinde a Iosepho Furlanetto emendatum et auctum, nuc uero curantibus Francisco Corradini et Iosepho Perin emendatius et auctius melioremque in formam redactum*, Patauii 1965 (1864-1926).
- W.J. HANKEY, *Ragione, razionalismo*, in A.D. FITZGERALD (ed.), *Agostino: dizionario enciclopedico*, ed. it. a cura di L. Alici e A. Pieretti, Roma 2007, pp. 1179-1188.
- E. MORO, *Eternità e tempo. Studio della dottrina agostiniana delle ragioni causali nel De Genesi ad litteram* (unpublished thesis, University of Padua), Padova 2011 (<http://tesi.cab.unipd.it/42410/>).
- Id., *Miracolo, natura e rationes causales. Il libro III del De trinitate e i libri VI e IX del De Genesi ad litteram*, «Medioevo», 37 (2012), pp. 27-56.
- J. OPSOMER, *Logos*, in *Wörterbuch der antiken Philosophie*, hrsg. von C. HORN und C. RAPP, München 2008², pp. 254-261.
- J. PÉPIN, *La doctrine augustiniennne des rationes aeternae. Affinités, origines*, in *Ratio. VII Colloquio Internazionale. Roma, 9-11 gennaio 1992. Atti*, a cura di M. FATTORI e M.L. BIANCHI (Lessico intellettuale europeo 61), Firenze 1994, pp. 47-68.
- A.M. PIAZZA STORONI, *El concepto de ratio en las obras de san Agustín*, «Augustinus», 24 (1979), pp. 231-288.
- A. YON, *Ratio et les mots de la famille de reor. Contribution à l'étude historique du vocabulaire latin* (Collection linguistique 36), Paris 1933.